

scil. suis, Clemente R. Dionysio Areopag. & Liturgiis Apostolicis Hagemannus; pugnetque si Vir est, fortius & aptius è Scriptura pariter & Antiquitate. Id verò cum neglexerit facerè hæctenus, ubi novum Pyrgopolinicum agens, spiritu diffilare voluit,

Quasi ventus folia, aut panniculam tectoriam, quicquid ego ex illis SPIRITUS S. & Ecclesiæ armamentariis fortissimè objeci; ratus, sufficere si nec volam, nec vestigium ejus, quod asserueram, in Verbo DEI nec in Scriptis SS. Patrum esse audacter diceret; præstabit forsàn, ubi distinctius oppugnat argumenta mea, tam è Scriptura, quàm è Patribus deprompta. Audi hominem, novumque suspice artificium, quo utitur. Arianum enim simulat, & ut metum injiciat mihi, sub hæc horrendâ larva: *Sic, inquit, (7) diceret Arianus: Rationes tuæ Biblicæ, quas pro CHRISTO adducis, asserens eum Patri consubstantialem, stramineæ sunt, nec tantum ad placitum Arii explicaret, sed & alia Scripturæ loca afferret, quibus probaret, Filium minorem esse Patre.* O compendium, cujus simile in cathedris Disputantium hæctenus non adhibitum fuit; & in dispendium quidem Catholicæ veritatis de *ὁμοουσίω* Patri Filio ab Hagemanno inventum! Hoc enim magistro dicere sufficit, rationes Biblicas esse stramineas; probatione verò non est opus, quam ego, ex simplicitate nimirum mea, hujus artificii & acuminis Hagemanniani nondum conscius, adjeceram, ubi Confirmationem (9) Papisticam negayeram esse Sacramentum. Id verò cum sub schemate Ariani evertere hîc voluerit Hagemannus, pa-

C 3

ria

(7) Cap. 8. art. 1. pag. 101.

(9) In Exam. Profess. Fid. Trident. cap. 10. pag. 238. seqq.